



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

133. An subditus dubius de legitima Prælati potestate teneatur illi obedire, maximè si sit in possessione superioritatis? Idem dicendum est, quando adsunt diversæ opiniones probabiles? Ex p. 4. tr. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

3. Hinc deducitur primò videntem posse ad veniale culpam in materia graui obligari, quia sicut omnis obligatio à sua voluntate ortum habuit, ita potuit ortum habere limitato modo, & non secundum omnem materiam capacitatem, ita Sanchez de matrimon. tom. 1. lib. 1. disp. 9. n. 6. fecus tamen dicendum est in iuramento, in quo Deum testem rei promissæ adducis. in hoc enim non potest quis limitare obligationem ad veniale, si materia grauis est, quia non pendet à tua voluntate obligatio implendi promissum. Secundò colligitur posse Confessarium penitentiam grauem imponere sub obligatione veniali, quia est quædam lex, & præceptum, & conditiones legis, & præcepti homini sortiri debet, ergo, &c. Ita Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 38. sect. 7. numer. 5. Medina C. de Confess. tractat. 2. quest. 48. & alij, licet contrarium asserat Sanchez in select. disput. 15. num. 16. Coninch de Sacram. disp. 10. dub. 8. num. 65. Ochagavia ubi supra, n. 7. & alij.

4. Notandum est tamen, certum esse nullo modo posse legiflatorem in materia leui, obligationem grauem imponere, licet velit, & intendat, quia talis intentio est iniqua, & iniusta; unde non est audiendus Gregorius Sayrus in claus. Regia, lib. 3. cap. 7. num. 17. qui putat hanc doctrinam esse veram, quoad legiflatorem sæcularem, fecus autem quoad Ecclesiasticum; quod probat ex vfu Religionum, in quibus aliquando Superiores res leues prohibent sub pœna excommunicationis.

5. Sed hanc limitationem merito impugnat Sanchez in summa, tom. 1. lib. 1. cap. 4. numero 3. Suarez de legib. lib. 3. cap. 25. num. 7. & alij. Et ratio ad huc militat etiam quoad iudicem Ecclesiasticum; & ad vsum Religionum, respondeo, quòd ibi Superiores, si aliquam rem leuem in virtute obedientie, vel sub excommunicatione præcipiunt, dicendum ob aliquem finem grauem, redditam esse grauem, vt v. g. propter silentium seruandum, ne ingrediatur quis in aliorum cellas &c. vt notat Bonacina de legibus, disputat. 1. quest. 1. punct. 7. §. 4. num. 21. Sanchez loco citato, & alij.

RESOL. CXXXII.

An Superior ratione circumstantiarum possit sub peccato mortali præcipere materiam leuem?

Et an hoc idem dicendum sit de Prælati Ecclesiastici?

Et notatur præcepta prohibentia in virtute obedientie ingressum in cellas ob aliqua incommoda evitanda, obligare etiam in casu, in quo aliquis certo sciat non adesse ibi periculum, ratione cuius præceptum impositum fuit.

Et etiam notatur solum Deum in materia leui, posse obligare ad mortale, Ex p. 5. tr. 5. Res. 47.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docent communiter Doctores, vnde valde attendenda sunt circumstantiæ, ex quibus Superior ad imponendum de aliqua materia præceptum, ducitur ad iudicium de illa formandum, quia sæpè contingit, vt materia præcepti sit secundum se leuis, & obligationis sub mortali incapax; at ex circumstantiis boni communis adiunctis, quas Superior intendit, fit grauis, & calat sub obligatione ad mortale, aut ratione iacturæ boni communis Religionis, periculi, etiam non proximi, transgressionis votorum, & idèd bene infert Valentia tom. 2. disput. 7. quest. 5. punct. 6. nonnullos decipi existimantes non obligare præceptum Prælati sub mortali de seruando silentio hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiendo, quod ex se non magni momenti appareat: quippè fieri potest, vt

circumstantia aliqua ei materię grauitatem addat: Quare ait cum Caietan. *hum. ver. præceptum*, in possibile videri in iure humano ex sola materia discernere præcepta sub mortali, cum res quæ leuis videtur, ac sit talis in se considerata, sit magni momenti, attentis circumstantiis, quas Superior spectat, ac subditi ignorant. Quare dicit Suarez *disput. 4. sect. 6. numero 11.* debere latè certò, & indubitanter constare esse leuem materiam, vt iudicemus præceptum, quod alias ex verborum tenore ad mortale obligaret, non sic obligare; & rectè quidem dicit, quia in dubio non est spoliandus Superior sua possessione, nec quando non constat iniustitia præcepti. Ex his similiter præcipere potest Prælati Religionis sub mortali, ne Religiosus aliquis accedat ad hortum communem Conuentus, aut ad talem sæcularis domum, aut ne transeat per talem vicum, etiam si cum licentia sua exierit extra Conuentum, vel ne cum tali, aut tali persona loquatur. Hæc enim & similia licet in se considerata videantur parui momenti, comparata tamen ad honestatem, & bonum nomen Religiosorum, aut ratione scandali, periculi, vel alterius circumstantiæ, efficiuntur res magni momenti, & idèd obligant sub mortali. Et hæc omnia docet etiam Montelinus in part. 2. tom. 2. disput. 23. quest. 9. numero 161. Salas de leg. disput. 10. sect. 6. numero 32. Medina in part. 2. quest. 96. art. 4. ad dub. 2. Baldellus ubi infra n. 10. Molfesius in summa tom. 1. lib. 1. cap. 4. numero 3. Sayrus in claus. Regia, lib. 3. cap. 1. numero 14. qui tamen numero 17. docet, etiam Prælatum Ecclesiasticum posse obligare ad peccatum mortale, si materia præcepti sit leuis, etiam attentis circumstantiis; sed hoc non est admittendum, etiam si Prælati iubeat in virtute obedientiæ, vt notat Castrus de lege pœn. lib. 1. cap. 5. document. 2. Baldellus tomo primo, libro quinto, disputatione 20. num. 8. & alij.

2. Notant ex si prædictis aliqui Religiosorum præcepta prohibentia in virtute obedientiæ ingressum in cellas ob aliqua incommoda evitanda, obligare etiam in casu, in quo aliquis certo sciat non adesse ibi periculum, ratione cuius præceptum impositum fuit, quia esto non adsit periculum illo casu, adeest tamen generaliter, & in primum, & hoc sufficit, quia hæc fuit causa imponendi præceptum, & ita docet Basilius Pontius de matrimon. lib. 5. cap. 5. n. 11. & Castrus Palas tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 14. num. 13.

3. Notandum est etiam hic obiter cum Dualio in 2. 2. D. Thom. tractat. de legibus, questione 5. articulo quarto, conditione 2. in fine, solum Deum in leui materia posse ad mortale obligare, vt probabile est fecisse erga Adamum, & Euam, ratione vñs fructus vetiti.

RESOL. CXXXIII.

An subditi dubiis de legitima Prælati potestate reneantur illi obedire, maxime si sit in possessione Superioritatis?

Idem dicendum est, quando adsunt diuersæ opinionēs probabiles? Ex p. 4. tr. 3. Res. 8.

§. 1. Affirmatiuè responderet Sanchez in summa, tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 29. quia cum in possessione Prælationis sit (si enim in ea possessione non esset, denegari posset possessio, donec de legitima electione, aut confirmatione constaret) non potest ob solum dubium, vel opinionem spoliari legitima possessione, denegando ei obedientiam, donec certus sit defectus. Hæc opinio est probabilis.

Sup. hoc in R. not. leg.

Sup. hoc in R. præterea, §. Notandū, ad med. sed lege eā per totam, & in to 5. tr. 1. R. 3. §. vlt. & in to 6. tr. 1. ex R. §. 8. lege doctrinā, §. Itaque si gnauer in his & infra paulo post initium, §. 3. a vers. sic Res. 08.

Sup. hoc in to 5. tr. 1. ex nota doctrina Res. 31 si gnauer in §. Dicat, propè fin. à v. Ex cuius. Sed lege eam per tot.

Sup. hoc quod hic docetur, late in tom. 8. tr. 1. R. 15. & in Ref. 16 §. vi & late ex doctrina alterius R. illarum quoniam annot.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse sententiam quam tueretur Vasquez in 1. 2. q. 19. art. 6. disp. 62. c. 6. in fin. & Salas etiam in 1. 2. q. 21. tr. 8. disp. unica, sect. 8. n. 78. afferentes, quando dubitatur de legitimi Superioris potestate, non teneri subditum obedire, & idem docent, quando adfunt diuersae opiniones probabiles, quia subditus tunc habet obligationem obediendi Praelato, quando Praelatus habet ius, & potestatem certam praecipendi, sed in casu nostro est dubium de eius potestate legitima, ergo, &c.

RESOL. CXXXIV.

An subditus dubitans, an res praecipit sit licita, teneatur obedire?

Et si Superior praecipiat aliquid sub conditione, de qua dubium est, an sit inpleta, an subditus teneatur obedire?

Et quid est dicendum, si Praelatus praecipiat sub poena excommunicationis latae sententiae?

Et notatur, quod si Praelatus est dubius de honestate praecipit, vel de excessu suae iurisdictionis, & imperet, subditus si etiam dubitat, non tenetur obedire. Ex p. 4. tr. 3. Ref. 9.

Sup. hoc lege R. §. 5. & verbi not. vlt. huius Ref.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Vasquez in 1. 2. disputat. 66. cap. 6. num. 51. Sed magis probabiliter affirmatiuam tueretur Sanchez in Summa, tom. 2. lib. 6. cap. 3. numer. 3. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 19. quest. 9. Valentia tom. 2. disputat. 2. quest. 14. punct. 4. quest. iunc. 4. §. quartum est, Suarez de Relig. tom. 4. lib. 4. cap. 15. numer. 20. Molin. tom. 1. tractat. 2. disputat. 113. concl. 3. & alij penes ipsos.

Sup. hoc in to. 6. tr. 1. R. 95. in fin. & lege doctrinam R. 96. & alterius Ref. eius annot. &c.

2. Sed ego sententiam Vasquez amplector in casu quo subditus ita dubitans timeret obediendo sibi, vel tertiae personae aliquod magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore, vt si v. g. Superior interrogaret illum de proprio, aut alterius delicto, & esset dubium si iuridice interroget, tunc enim subditus non tenetur illi obedire. Ita Aragon. in 2. 2. quest. 69. artic. 2. Medina in 1. 2. quest. 19. art. 6. Henriquez lib. 14. cap. 3. numero 3. in glossa littera X, Lessius lib. 2. cap. 4. dub. 9. numer. 77. & alij penes ipsos; quidquid in contrarium afferat Ioan. Sancius in selectis, disp. 43. num. 28. Et ratio est; quia in dubiis fauendum est reo, & licet subditus in tali casu non sit in possessione suae libertatis, est tamen in possessione suae securitatis, seu iuris quo potest se, vel alium à rebus periculosis conseruare; sed de hac quaestione ego alibi fusius egi.

Alibi in R. 2. not. praetertax, & si placet lege etiam doctrinam alterius Ref. eius secundae anno.

3. Nota hic etiam cum Sanchez ubi supra num. 26. contra Salas in 1. 2. tract. 8. disputat. unica, sect. 19. num. 177. quod si Superior praecipiat aliquid sub conditione de qua dubium est, an sit adimpleta, subditus non tenetur ei in hoc casu obedire, quia in dubio non est praesumendum conditionem esse adimpletam; sed ante impletam conditionem praecipit illud non obligat subditum, ergo &c. Et in his casibus, in quibus subditus non tenetur in dubio obedire Praelato, idem dicendum est, si Praelatus praeciperet sub poena excommunicationis latae sententiae; & ratio est, quia excommunicatio non imponi potest nisi pro inobedientia; sed in his casibus non reperitur, quia subditus iuste non obedit; ergo, &c. Ita Sanchez loc. cit. num. 27. & alij.

Sup. hoc in to. 5. tr. 1. ex lata doctrina R. 31 si notan ter, & dicey.

4. Notandum est etiam hic, quod si Praelatus dubius de honestate rei praecipit, vel de excessu suae iurisdictionis imperet, subditus si ipse etiam dubitet, non tenetur obedire. Ita contra Henriquez

lib. 1. 2. cap. 6. num. 5. in glossa lit. T. Cordubam, vtrumque que Ledesnam, Lopez, & alios docet Castrus Paulus tom. 1. disp. 3. punct. 13. numero 13. & alij penes ipsum.

RESOL. CXXXV.

An Praelati Regulares teneantur ferre censuras in scriptis?

Et an aliter faciendo peccent, & incurrant suspensionem?

Et quid, si Guardianus dicat pro suo triennio sub excommunicatione, ne subditi sui talem domum ingrediantur, vel quid simile, si hoc faciat sine scriptis, an incurrat, &c. Ex p. 5. tr. 9. Ref. 73.

§. 1. **D**iximus supra censuras esse ferendas in scriptis, & non solo verbo, & aliter facientes peccant, & incurunt in suspensionem ab ingressu Ecclesiae per mensum, & à diuinis, quam suspensionem etiam incurrit ferens censuram sine expressione causae, vt docet Angelus, ver. suspensio, 1. numero 16. Nauar. cap. 27. n. 8. Auila part. 2. cap. 2. disputat. v. dub. 3. & part. 3. disputat. 3. dub. 1. conclus. 4. & alij.

2. Sed difficultas est, an Praelati Regulares si ferant censuras sine scriptura, peccent & in suspensionem incurant. Prima opinio negat, quia durum videtur ipsis seruare hunc ordinem, cum saepe censuras ferre debeant; & pro hac opinione Bonacina de censur. disputat. 1. quest. 1. punct. 9. numero 2. citat Sayrum, & Henriquez. Secunda opinio affirmat, quia in cap. cum medicinalis, de sententia excommunicat. in 6. absolute loquitur, nec adest ratio sufficiens, propter quam excipiendi sunt Religiosi, qui non debent temere & ex leui causa graues censuras ferre. Tertia opinio asserit, Praelatos Regulares non posse ferre censuras sine scriptura, quando illas ferunt per modum statuti; secus autem per modum sententiae particularis contra aliquem, & ita tantibus privilegiis docet Portel in dub. Regular. ver. excommunicat. numero 1. vbi sic ait. Praelatus ponens sine scriptis excommunicationem per modum statuti incurrit poenam iuris, quae est suspensio officij. Illa autem erit per modum statuti, vel ordinationis, quae ponitur omnibus fratribus Provinciae, & permanentem, Rodriquez ibidem, & reuera Leo X. compend. ver. excommunicatio. §. 7. excusans Praelatos excommunicantes absque scriptis, solum loquitur de excommunicatione ab homine, & contra particularem, & proinde si stat per modum statuti, & non ponatur in scriptis, incurrit poenam praedictam. Et quid si Guardianus pro suo triennio dicat sub excommunicatione, ne sui subditi talem domum ingrediantur, vel quid simile, si hoc faciat sine scriptis, si incurrit? Ego credo quod sic, quia illa non est ab homine, neque contra aliquem fratrem particularem, & si non est statutum, est saltem ordinatio, & Leo X. solum excusat excommunicantem aliquem particularem. Excusabit tamen inaduertentia, ignorantia, vel consuetudo praescripta. Ita Portel, cui etiam adde Villalobos in Manuali Confessoriorum, cap. 1. 2. n. 7. vbi sic ait. [Algunas condiciones pone el derecho que se deuen guardar en poner las censuras. La primera que se ponga por escrito, aunque si se hiziere sin esso valdria, y Leon X. concedio que los Prelados de la Orden de los Frayles Menores de la Obseruancia, quando descomulgán à algun Frayle en capitulo à comunidad, no esten obligados à ponerla por escrito, mas el Prelado que pone descomunion por via de estatuto (como si la pusiese à todos los